Disputatio Inauguralis
De
APOPLEXIA,

QUAM

DIVINA FAVENTE GRATIA,

DECRETO ET AUTHORITATE

INCLYTÆ

FACULTATIS MEDICÆ,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

DN. MATTHIA TILINGIO,

Med. D. & Professore publ. Prim. Archiatro Hassiaco, Sacri Romani Imperii Collegii Naturæ Curiosorum Zephyro, p. t. DECANO,

Dn. Patrono & Fautore suo ætatem honorando,

PRO

LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI

PUBLICÆ ET SOLENNI ERUDITORUM Disquisitioni submittit

BALTHASAR HEIDENREICH WALLMAN,

Hildesiensis.

Die 4. Augusti, loco, horisque solitis. 1691.

RINTHELII, Literis Godofr. Casp. Wächteri



Cum DEO.


HOminem à Veteribus non incommodè Microcosmum appellatum esse, analogia rem penitiùs pensitantem haud obscurè docebit. Quemadmodum enim in Macrocosmo aqua in oceani fluxu & refluxu occultos terræ meatus, diversasque metallorum, succorum lapidumque mineras trajecta, diversas secum rapit particulas, varios diversarum admirandarumque virtutum fontes constituentes. Similiplanè modo sanguis ex corde, ceu oceano multos arteriarum anfractus & sinus emensus, ad varia viscera variasque allidit glandulas ceu mineras, proque illarum diversitate diversi segregantur succi, speciem diversorum fontium non obscuram præbentes. Metalla varia in cadaveribus sæpe reperta de metallorum, ipsa verò nostra calamitas de lapidum mineris sat clarè testantur. Ratione vegetationis plantarum variarum licèt etiam commoda secundum naturam analogia quadam institui posset, placet tamen eam hîc præterire, & saltem ex Petri Borelli observat. X. Centur. 1. *historiam quandam fidem fermè excedentem adducere: Meminit ille pastoris cujusdam, qui in prunulum incidit, cui spina per duos annos in regione thoracis media sive sterno relicta,*




ita radices egit, ut post resectos surculos varios, aliqui tandem prodierint, in quibus flores & fructus visi sunt. Colles porrò & valles quilibet se ipsum inspiciens & palpans anxiè quærere haud necesse habebit.

Aëris quoque, Solis, Lunæ cæterarumque Stellarum regionem non incommodè refert Microcosmus. Ast omnia hæc latius deducere instituti nostri non fert ratio; Instar omnium sit nobis sol, quem inter & cerebrum quanta intercedat analogia, paucis ostendemus. Sicut Sol radiis suis hæc inferiora non saltem illustrat & alterat, sed varia vi & virtute ea imbuit variis operibus naturalibus producendis apta: sic quoque cerebrum radiis suis, spiritibus nempe animalibus, totum corpus illuminat & alterat, partesque & organa ad munia sua rectè obeunda disponit. Contrà autem, sicut sol interdum (luna inter solem & nostrum aspectum existente) eclipsin quandam patitur, sic obstacula etiam non rarò sese offerunt in cerebro, quæ transitum radiorum seu spirituum animalium in inferiora non sine totius totali sæpe exitio præpediunt; unde variæ solis microcosmici eclipses seu affectus exsurgunt, inter quos non in infimis subselliis locanda est Apoplexia, utpote quæ (sicut de solis eclipsibus Calendariographi nescio quæ omina non tradant) multorum casuum lugubrium mater est. Hunc igitur affectum impetratâ ab Amplissima & Gratiosissima Facultate Medica, Disputationem Inauguralem scribendi potestate, pertractare animum induxi. Gratiâ verò suâ Deus, Medicus summus, mihi adsit, ut vergat hic labor in Sui honorem proximique salutem.

THES.

THESIS. I.




Uamvis æger parum solaminis aut levaminis exinde percepturus sit, si Medicus de morbi nomine & derivatione nominis anxiè solicitus sit, more tamen recepto, vel tribus saltem vocis Apoplexiæ significationem ejusque synonymiam delibabo, progressurus statim ad morbi istius phænomena, horumque causis, pro ingenii modulo ventilatis, rationem medendi, quoad fieri poterit, applicaturus.

I I. Apoplexia est vox Græca, dicitur ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν quod est cædere, percutere, sumtâ appellatione à victimis, quod homo hoc affectu correptus, instar victimæ uno ictu ad aram cæsæ, subitò corruat. Sideratio Latinis dicitur, quod Veteres hosce fulmine, quod sidus esse putabant, tangi crederent. *Cornelio Celso lib. 3. cap. 26.* morbus attonitus vocatur; quod mentem & corpus stupidum & quasi citra tonum reddat, der Schlag / die Hand Gottes / Germanicè appellatur.

I I I. *Apoplexia est subita actionum animalium omnium, motus scilicet ac sensus, remanentibus saltem respiratione difficili & pulsu inæquali, abolitio, ab influxu spirituum animalium in organa harum actionum prohibito, aut eorundum fixatione ac exstinctione orta.*

I V. Hic affectus ratione vehementiæ majoris vel minoris differt; in fortissima enim apoplexia respiratio aut in totum penè remittit, sic ut observabilis vix sit, aut cum stertore & spumâ, ad os aliquando apparente, accidit: Pulsus itidem nimis languidus & parvus, celer tamen & vix sensibilis est. Sen-

ſus & motus planè deſunt. Color quoque faciei ſubinde intenſior & obſcurior evadit. Quæ ſymtomata in leviori apoplexia ſunt mitiora. Reſpiratio enim non adeô difficilis, pulſusque plenior & ſatis validus exiſtit, quanquam inæqualis ſemper obſervetur, ſenſus & motus nonnihil torpidi & obſcuri aliquandò in quibusdam partibus ſuperſunt. Color itidem faciei parum immutatur.

V. Cum verò affectus hujus ſymtomata ex ſubita ſenſus & motus abolitione, pulſus reſpirationisque minore vel majore difficultate imprimis pendeant, non abs re fore duxi pauca ex œconomia animali, in quibus motus, ſenſus, pulſus & reſpiratio conſiſtant, quiquè eorum ſit uſus præmittere, quò rectiùs eorum ſtatus præternaturalis explicari poſſit.

V I. Animadvertendum igitur eſt, à ſanguine ſubtiliore ex corde per arteriæ magnæ truncum aſcendentem ejusque ramos, arterias nempe carotides & cervicales ad cerebrum delato, perque illud quaſi colato, maxime aëreas activas & ſubtiles quasdam particulas, ſpiritus animales conſtituentes, ſeparari, qui â cerebro per nervos (canales ſcilicet idoneos, craſſos, poroſos) eorumque fibras & filamenta ſingularum partium muſculis & membranis diſtribuuntur, omnium ſenſuum & motuum in animali autores.

V I I. Motus ſeu pulſus cordis debetur ſubſtantiæ cordis muſculoſæ, tum per nervos & fibras ſpiritibus animalibus, tum à ſanguine vitalibus irrigatæ. Reſpiratio verò maximè dependet à motû diaphragmatis, muſculorum tùm abdominis, tùm intercoſtalium in- & externorum. In inſpiratione enim, dum per motum diaphragmatis & horum muſculorum abdomen attollitur & thorax dilatatur, aër ambiens in thoracem dilatatum & pulmones propellitur. In exſpiratione autem ex motu diaphragmatis contrario, muſculorumque relaxatione abdomen delabitur, thorax ac pulmones anguſtantur, & ſic aër viciſſim expellitur.

V I I I. Pulſus & Reſpirationis uſus eſt, ſanguinem

in pulmonibus & cordis ventriculis elaboratum, ventilatum, & exaltatum per arterias ad omnes corporis partes propellere, tàm nutrimenti, caloris & vigoris, quàm in cerebro ſpirituum animalium conficiendorum gratiâ, à nutritione verò & ſpiritibus animalibus reſiduum per venas remittere ad cor, ut in eo denuò cum novo chylo mixtus efferveſcat, novumque vigorem reaſſumat. Paucis hiſce de ſenſus & motus, pulſus itidem & reſpirationis ratione & uſu prælibatis, conferamus nos ad eorum ſtatum præternaturalem examinandum & dilucidandum, in quantum affectus noſter anſam ſubminiſtrabit.

I X. De parte affecta multorum Cl. Virorum diverſæ ſunt ſententiæ, aliis cor, aliis cerebrum, aliis vero venas, arterias inprimis Carotides, aliis aliud hujus affectus ſubjectum ſtatuentibus, Nos cum facilè largiamur, varias, imo totius corporis partes pati; ſanguini tamen & ſpiritibus conficiendis organa & viſcera dicata magis & principaliter lædi ſtatuimus.

X. Cauſa proxima Apoplexiæ eſt ſpirituum animalium aut emanatio ſive influxus in nervos inhibitus, aut eorundem fixatio & exſtinctio. Hæc vero unde eveniat apud Autores non uſque adeò conſtat, variasq; apoplexiæ diſtinctiones & differentias videre eſt, nos hic cum Cl. *Williſio* facientes, morbum diſtinguimus in accidentalem & habitualem ratione diverſi hujus morbi inſultus; quatenus nempè ſine prævia diatheſi à cauſa ſubita, ſolitaria & ſæpe inevincibili excitatus, plerumque lethalis exiſtit, contra quem nulla cura præſervatoria inſtitui poteſt, &, ſi curatio iniri ſoleat, plerumque inefficax eſt. Vel deinde paroxyſmus apoplecticus cauſam antecedentem ſive diſpoſitionem præviam habens, propter varias occaſiones ſive cauſas evidentes in actum deducitur.

X I. Utriusque verò Apoplexiæ cauſam proximam eandem eſſe, ex ſequentibus patebit. Quod enim ad accidentalem attinet, illa fit, vel quando abexterna cauſa violenta, ut caſu ab alto, capitis ictu, alliſione ad durum, concuſſione aut ſimilibus, magna continuiſit ſolutio intra cerebrum, propter

quam à ſanguine extravaſato meatibus ejusdem, nervorumque oſculis obſtructis & compreſſis ſpirituum proventus & emanatio omnis ſupprimitur, vel, quando à vapore ſulphureo, acido, narcotico in locis ſubterranneis, ut ſpeluncis, fontibus antiquis profundis, cellis vinariis & cereviſiariis, ubi muſtum & cereviſia fermentanda reponuntur, ſpiritus & ſanguis nimis figuntur, unde corporis reſolutio & apoplexia ſubitò contingit. Sic memini me adhuc puero, in patria mea viros quosdam nî fallor tres aut quatuor, puteum antiquum & ſterilem purgaturos & renovaturos repentè & ex improviſo mortuos eſſe; cujus phænomeni vulgus tum temporis rationem redditurum, baſiliſcum quendam interiùs in puteo latere fingebat, qui halitu & aſpectu ſuo venenoſo tales viros necâſſet; quod rectius mineræ cuidam, halitus ſulphureos & narcoticos ſpiranti, tribuendum erat.

XII. In Apoplexia autem habituali, ſeu ubi cauſa antecedens & diſpoſitio in corpore eſt, quidnam in culpa ſit, ex quo affectus phænomena deduci poſſint, in ſequentibus paulò uberius disquiremus. Multæ quamvis hic foveantur Medicorum opiniones, nobis tamen præ cœteris illa arridet, quæ ſuccum melancholicum, accidiorem, auſteriorem, in cerebro ſive glandulis corticis cerebri cumulatum, ſpiritus animales & ſanguinem ibidem figere ſtatuit. Opinionem illam dudum foviſſe videtur *Hippocrates*, dum *libr. 2. de morbis, textu 6to* ſic loquitur: *Derepentè dolor occupat caput, & ſtatim voce privatur, ac ſui impotens fit, &c. Patitur autem hæc cum atra bilis ipſi in capite commota fluxerit, in partem maximè, in qua pluſimæ ſunt venæ, in collum nempe & pectus. Deinde poſtridiè ſideratus fit & impotens, ſanguine nimirum perfrigerato.*



XIII. In hanc quoque ſententiam inclinare videtur Cl; *Williſius.* hæc enim ejus verba *in capite de Apoplexia* continentur. *Quod ſi de materia hujus morbificæ indole ſive natura inquiratur, ſuſpicari licet ſpiritus animales in Apoplexia, planè aliò modò ac in paſſionibus convulſivis affici, nempe ſideratione,*

tioni obnoxios copulam explosivæ contrariam, hoc est, Vitriolicam potiùs, quàm nitro-sulphuream adsciscere, proindeque ab ea spirituosalinas ipsorum particulas prorsus figi, ac à motibus sive explosionibus quibuscunque ineundis inhiberi, non secus ac cum particulæ vitriolicæ cum auro fulminante tritæ & combinatæ virtutem ejus explosivam seu sclopetariam prorsus adimunt, & tanquam aura glacialis afflatu particulas alias quasvis activas congelant & immobiles reddunt. Non absimili modo se habere videntur spiritus animales, eorumque copulæ sive diversimodæ adjuncta, quorum nempè alia virtutem elasticam & valdè explosivam, prout in affectibus spasmodicis: alia que iis stuporem; ut in morbis soporosis, etiam in Apoplexia & paralysi, inducunt.

XIV. Modus verò, quô ejusmodi melancholiæ (quam voco succum austerum, acidum, Vitriolicum) in cerebro collectio fieri possit, ut aliquatenus & quantum rei natura patitur, explicetur, advertendum, Cinereum cerebri corticem esse corpus glandulis minutissimis compactum, quæ ad hoc munus, uti superius innuimus, sunt destinatæ, ut è sanguine per arterias carotides & cervicales delato spiritus animales eliciant, in nervorumque fibras transfundant. Certius verò nihil est, quam corpora glandulosa esse maximè apta, ut in ipsis variorum humorum collectiones & corruptiones fiant; id enim manifestè deducitur ex vasorum in illis multitudine, exilitate & complicatione, quibus omnibus fit, ut, qui per illa vasa transcolantur humores, in illis facilè hæreant & morâ diuturnâ, pro varia partis natura aut acquisita dispositione, labem multiplicem contrahant, acescant, concrescant, putrescant &c, uti hoc tumores glandularum sæpe testantur.

XV. Si jam glandulæ cerebri succo melancholico fuerint imbutæ, temporisque progressu ille fiat abundantior & acidior, tum vel ob quantitatem exundans, vel insigni acrimoniâ sibi viam faciens, vel sanguinis agitatione aut capitis concussione, aut aliter inde excussus sanguini & spiritibus affunditur, ipsos figit & coagulat, ac ita resolutionem corporis

 indu-

inducit: Pro quantitate verò & aciditatis intensione humor effectus quoque producit vel majores vel minores.

XVI. Videamus nunc primò, quomodo signi Apoplexiæ maximè pathognomonici ratio hinc deduci possit; Cur nempè in Apoplecticis respiratio & pulsus, intestinorum quoque motus perdurent, cæteris animalibus actionibus abolitis; Cur itidem respiratio & pulsus prorsus fermè interdum desinant, aut cum stertore & spuma ad os apparente in fortiori Apoplexia contingant. Undè multi haud absurdè statuerunt Apoplexiam esse affectum soporosum gravissimum, observantes in affectibus soporosis & sensus & motus pro affectus vehementia magis vel minus cessare, remanente pulsus, respirationis, intestinorumque motu.

XVII. Primum quod attinet, si cum Cl. *Willisio* statuere liceret, cerebrum esse affectum, cerebello libero existente, ceu ex quo respirationis & pulsus organa spiritibus animalibus irrigentur, in promtû ratio esset. At quis hîc excusabit cerebellum, quid nî cerebello æquè facilè simile malum poterit contingere, quod cerebro, cur quoque non interdum cerebellum afficitur, intacto cerebro, ut sic homines absque pulsu & respiratione eant, stent, currant, aliasque actiones obeant.

XVIII. Conjectura *Francisci Bayle* Medici *Tholos.* aliqualis pretii esse videtur, qui, postquam in variis brutorum & hominum cerebris glandulam pinealem manifestâ salsedine, eâque sat acri imbutam deprehendit, suspicatur in ea sal aliquod volatile armoniaco analogum separari, quod in caudicem spinalis medullæ diffusum vigorem addat spiritibus animalibus & eorum coagulationem & fixationem quodammodo impediat: Huic accedit, quod respirationis usus sit continuus, continuaque musculorum huic muneri inservientium actio requiratur; hinc etiam fit, quòd spirituum animalium perpetuô influxu in nervos illorum viæ ita disponantur, ut spiritus animales, siqui supersunt, in illos nervos faciliùs influant

quàm

quàm in alios; hinc reſpirationis motus difficillimè & ultimò ſufflaminatur.

X I X. Quòd verò in Apoplexia fortiori reſpiratio, vel prorſus fermè remittat, vel cum ſtertore & ſpuma ad os apparente fiat, evenire puto, vel quando ab initio, ſanguinis motu adhuc rapidiore exiſtente, acidum in cortice cerebri ſpirituoſalinas particulas ſanguinis ſeu ſpiritus non adeò ſubitò, ſed poſt aliqualem pugnam & efferveſcentiam ita figit, ut parva vel nulla ſpes ſuperſit ipſis etiam ſalibus volatilibus, ſanguinem & ſpiritus fixos ſolvendi & in libertatem vindicandi. Sic ex obſtructione, ſpiritibus animalibus reſpirationis quoque organis denegatis, ſanguis propter vias in cerebrum præcluſas, in pulmonibus & corde reſtagnans, vaſa ſanguinea in pulmonibus turgefacit, ut aëris ingreſſus multum impediatur, ſpiritibusque glandularum nervis ſubtractis, ſalivalis humor ad os delabatur; unde ſi quæ ſuperſunt vires, in unum hunc lapidem, reſpirationem nempe movendam, impenduntur, & ſic vehementia reſpirationis humorem delapſum ſub forma ſpumæ ad os protrudit. Qualis ſpuma in moribundis ſæpè apparens, ſummam virium dejectionem & ſpirituum diſſipationem denotare ſolet.

X X. Hæcce de Phænomenis in ipſo paroxyſmo apparentibus dixiſſe ſufficiant; paucorum phænomenûm ſaltem, quæ utplurimum poſt exſtinctionem in cadaveribus apoplecticis deprehenſa ab Autoribus traduntur, rationem ſubnectamus. Et primò cur ſæpe maxima cerebri portio ſanguine ſuffuſa, cerebrique ventriculi pleni ſint reperti; Sanguis enim per arterias allatus à ſucco melancholico coagulatus ibidem ſubſtitit, nec in venas reverti potuit, quarè uberior ſanguis magno cordis conatu magis magisque protruſus, viâ in venas recluſâ, arterias tandem rupit, & ſic majorem vel minorem ſuggillationem & effuſionem pro majore vel minore copia & impetu effecit. Patet quoque indè, quare in pulmonibus & cor-

dis ventriculis, quin in ipsa thoracis cavitate sanguis grumosus apparuerit: quia obstructis tandem pulmonis vasis, ipsoque cordis sinistro ventriculo, sanguis magno impetû à cæteris corporis partibus protrusus, vî sibi viam, quam in pulmonum canalibus non invenit, aperuit, ac sic thoracis cavitatem implevit; accedit porrò, quod succus melancholicus in principio, ante omnimodam in venis jugularibus obstructionem, cordi quoque communicari potuerit; *Carolus* namque *Fracassatus* Clariss. *Medicus & Anatomicus Pisanus in Dissertatione de Cerebro* refert, se, Serenissimo Magno Duce *Hetruriæ* jubente, ut Apoplexiæ causa inquireretur, sectis cadaveribus eorum, qui hoc morbo moriebantur, invenisse sanguinem concretum in ventriculis cordis & vasis sanguineis pulmonum, eo modo quo solet concrescere, cum aquæ fortes in venas effunduntur.

XXI. Non alia forsan probabilior reddi poterit causa, quare apud *Wepferum* tota cerebri superficies, tam gyri, quàm, divulsis gyris, anfractus, ceu gelatinâ quaqua versùs obsiti visi sint, quæ cultello læsa serum exstillavit sincerum. Gelatina illa nihil aliud fuit, quàm serum concretum, vel ipse sanguis per exiles ruptorum vasorum rimas effusus & in gelatinam concretus ob acrimoniam succi melancholici, tum ipsi permisti, tùm è cerebro adventantis. In pleuriticorum etiam sanguine, vase excepto, ut plurimum maxima pars in gelatinam albidam & viscidam mutatur, bonâ parte in serum tandem abeunte, sic, ut rubor in paucissimo sanguine conservetur, imò aliquandò fermè totus evanescat. Hæc verò omnia sunt effectus acidi, vel in parte affecta exaltati, vel in totam massam effusi.

XXII. Plura phænomena post mortem observata hîc adducere, aut eorundem rationem reddere instituti nostri ratio & pagellæ non admittent; pauca hæc adducta, quæ ut plurimum deprehenduntur, per succum melancholium explicari posse, quilibet jam satis videt. Pergamus igitur ad cau-

sas


ſas remotiores & primò naturales, in quibus *Hippocrates* ætatem ſenilem præ cœteris accuſat *aph.* 57. *ſect.* 6. inquiens, *Apoplexia maxime fit a quadrageſimo anno ad ſexageſimum*; quamvis hoc *aphorismo* cœteræ ætates minimè excludantur, interim eâ ætate melancholia maximè vigere ſolet; quod patet ex ſeveriore vivendi ratione, & ſeriis occupationibus, quibus tum libentius homines occupantur; conſumptis enim partibus mollioribus in prægreſſis ætatibus, ſanguis bilioſior fit, fervidior ac acrior, tandemque ad aciditatem vergit, calore ſenſim deficiente, & acido olim volatili & maximè fugaci craſſiore & magis fixo facto; eadem enim penè ratio ſanguinis eſt, quæ vini. Hæreditaria quoque diſpoſitio interdum hîc ſuam exſerit ſævitiem, imprmis ſi ei rerum non naturalium abuſus&errores manus auxiliatrices quodammodò ſupeditent.

XXIII. Ex præternaturalium numero poterunt eſſe plethora & cacochymia, hæ enim melancholiam non ſolùm augere, ſed & in corpore alicubi latentem movere & in actum traducere poſſunt. Abſceſſus quoque, qui in cerebro Apoplexiam producunt, non ſine concurſu ſucci melancholici factos eſſe aut fieri exiſtimaverim.

XXIV. Ex rebus non naturalibus dictis quamvis quædam absque diatheſi hunc affectum producere poſſint & ſic accidentalis Apoplexiæ cauſæ fiant, uti de aëre ſuperius oſtenſum eſt, utplurimum tamen vices procatarcticarum gerunt, quatenus nempe antecedentem in corpore diſpoſitionem mirificè augent, movent & in actum producunt. Hoc quoque *Hippocrates* obſervans Apoplexiam hyeme & aſſiduis imbribus maximè oriri dicit, *aphor.* 16. *ſ.* 3. *& ejusdem. ſ. aphor.* 23. Ejusmodi enim temporum conſtitutionibus melancholiam & acidum in corporibus noſtris magis abundare, triſtum vivendi ratio & major appetitus oſtendunt. [illegible]an.

XXV. Cibi & potus quantitate & qualita[illegible] facites, ceu multorum morborum cauſæ, non parum [illegible]tis enim un[illegible] ad apoplexiam generandam & accelerand[illegible] &

B 3

& variis, crudis & pravis humoribus & vaporibus sanguinem & spiritus inficiunt. Nimia præsertim vini aquarumque ardentium ingurgitatio, ut & tabaci fumus nimius hunc sæpe producunt affectum; quo etiam medicamenta narcoticâ vi pollentia, intempestivè & in nimiâ quantitate adhibita, ut opium, opiata &c. spectant.

XXVI. Motus & quies, vigiliæ & somnus, variè sanguinem & spiritus alterare, movere, dissipare & absumere valent, ac proinde non hîc excluduntur, sed pro vario in illis errore, ansam apoplexiæ dare possunt. Animi quoque pathemata, e. g. iram, terrorem, gaudium hunc sæpè produxisse morbum, Autorum tradunt observationes. Excreta & retenta si suum non observent modum, quantos prôh dolor! excitant luctus; excretio enim, si sit nimia, spiritus & vires unà exhauriuntur, sic ut totum sæpe corpus torpescat: excernenda autem si retineantur, omnia tetris exhalationibus turbantur, sanguis coinquinatur spiritibusque gravis infertur noxa. Huc usque de causis Apoplexiæ, sequuntur nunc ejusdem signa in medium adducenda.

XXVII. Imminentis morbi quamvis aliquandò nulla sint signa, sæpe tamen capitis gravitas indolens, sensuum omnium, præsertim internorum hebetudo insueta, pigrities & languor aliquis in motu insolitus, totius corporis tremor, stridor dentium in somno, incubus &c, præcedunt; succus nempè melancholicus qui in glandulis corticis cerebri, in fieri quasi est, nec quantitate & qualitate tam graviter peccat, spiritus animales & sanguinem modicè saltem & parcè subindè afficit & infestat, ut modò hæc phænomena leviora ceu apoplexiæ imminentis præsagia sentiant, quæ facili errore seu externo, seu interno ad apoplexiam ipsam producendam apta reddi possunt. Præsentis signa superius *thesi 4tâ* uberiùs & [...]ribus sunt enarrata.

XXVIII. Cum verò pluribus affectibus valde sit videamus, per quæ phænomena ab illis differat. Ab



epi-

epilepsia igitur differt, quod illi conjuncta sit membrorum jactatio spasmodica, quodque per intervalla redire soleat; Apoplexia autem totum corpus reddit attonitum, nec ita frequenter redit. Cataleptici in eodem statu, quo prehensi, manent, rigidaque servant membra; Apoplectici verò laxos habent artus & subitò concidunt. In Catharro suffocativo mente & sensu adhuc constantes pereunt, & respiratio plane intercipitur, quod in Apoplexia non fit. Carus sensus & motus non prorsus abolitos reddit, sed respiratione liberâ sensim invadit. A lethargo differt, quia in illo ægri excitari possunt, ac semper febri lentâ tentantur; Apoplectici verò utroque destituuntur. Syncope ab ea distinguitur facie pallidâ, membrisque non ita laxis, & eorum majore refrigeratione.

X X I X. Signa quod attinet Prognostica, patet ex morbi hujus magnitudine & celeritate, ut & partium affectarum dignitate, morbum præ cœteris esse satis magnum, gravem & acutum: Quod etiam *Hippocrates aph.* 42. *s.* 2. clarè innuit, dum solvere Apoplexiam fortem esse impossibile, debilem verò difficile pronunciat. Ratione verò respirationis magis vel minùs læsæ Apoplexia fortior vel debilior existimatur. Si post venæ sectionem & medicamenta adhibita aliquantum ad se redeant ægri, bonum est signum, si secus, malum.

X X X. Si hæmorrhoides aut febris sine rigore superveniant, apoplexiam solvi testatur *Hippocrates* Quod verò utrumque de debili Apoplexia & quidem initio ejusdem, si aliquandò fiat, maximè intelligendum est. In initio enim, fluente liberaliter per hæmorrhoides sanguine, non solùm in toto plethora imminuitur & quæ ex arteriis hæmorrhoidalibus (præsertim, si obstructio earundem præcesserit) in totam sanguinis massam fluebat melancholia, subtrahitur, sed etiam à partibus superioribus ad inferiora fit revulsio quædam, quâ sanguini è cerebro in venas contingit facilior reditus, & motu ipsius facto rapidiore, coagulatio prohibetur, ac vasorum obstructio solvitur. Febris quoque si sine rigore superveniat, tum ex

motu

motu particularum biliosarum seu alkalinarum effervescentia cum acidis orta, spiritus rursus elevare, & sanguinem, qui ab initio morbi incipiebat concrescere, solvere, &, ne de novo concrescat, impedire potest. In Apoplexia verò fortiori, ubi spiritus & sanguis in totum fermè fixi sunt, ad statum naturalem, vel per hæc, vel per alia accidentia vix ac ne vix quidem dabitur regressus aut morbi solutio. Si quoque post primum paroxysmum organi alicujus vel lateris alterius aut utriusque paralysis, ut sæpe contingit, sequatur: si itidem æger solito torpidior & hebetior factus scotomiâ & crebrâ vertigine afficiatur, metuendum est, ne à materia morbifica in minori quidem quantitate superstite & sparsim fluitante, levi verò errore aucta & in motum magis adacta, denuò sideratio procuretur & recidiva Apoplexia causetur.

XXXI. Qui siderati mox pulsu & respiratione ad sensum privati animum exhalâsse videntur, non statim lecto eximendi sunt, &, licèt nulla vitæ spes amplius affulserit, non tamen nisi post tres aut quatuor dies terræ demandandi, cum tales aut spontè aut remediorum usu interdum reviviscant, quatenus materiâ morbificâ in cerebro discussâ aut evaporatâ, cordis motus & respiratio magis sensibiles iterum fiunt, & ceu ponderibus horologii appensis redintegrantur.

XXXII. Apoplexiæ itaque causis & signis exploratis, reliqvum est, ut de ejus Therapeja soliciti simus. Ante omnia verò Medicus advocatus priusquam aliud quippiam tentet, ægrum temperato loco pariter & justo situ collocandum curet; situs verò ægrotantis non sit supinus, sed capite nonnihil erecto, ac ad latus modò unum, modò alterum erecto; os quoque si fieri potest interposito cuneo apertum servetur.



XXXIII. Postea curationem ex triplici fonte pro ratione ægri & morbi præsentis aggrediatur, & quidem in ipso paroxysmo materiæ ablationem, spirituum elevationem & sanguinis fluxum provocare quantum potest, studeat, ut sic excitatio ægri promoveatur; ubi Chirurgia primò venesectionem suam commendat.

XXXIV.

XXXIV. Venesectio autem quamvis multum præstet utilitatis hîncque à multis Practicis indifferenter & semper in Apoplexia commendetur, sic, ut *Corn. Celsus lib. 3. cap. 26.* præter venæsectionem, vix ullum aliud curationis genus ab hoc morbo sanitatem restituere affirmet, non tamen (pace hujus & aliorum Cl. Virorum) absque circumspectione hîc agendum esse censeo. Quis enim in senili ætate, áut aliàs, ubi ante morbi invasionem summa virium dejectio adest, illam semper suadeat ? admitti potiùs debet, ubi plethora conjuncta est, & maximè, quod semper observandum, in morbi principio, ubi sanguis adhuc quodammodo in motu, & ut *Hippocrates* ait, spiritus elevati sunt; si enim hoc auxilium differatur, & sanguis penitus in vasis concrescat, parva vel nulla ex V. S. aut aliis remediis utilitas expectanda erit. Si constitutio ægri largam sanguinis missionem non admittat, diversis in locis pro diversa intentione intra paucas horas reiterari poterit. Jugularium venarum sectio non sine maximo emolumento aliquando instituitur, præcipuè, si, sanguine abundante, in brachio ad universalem plenitudinem imminuendam venæ apertio præmissa sit; ob earum enim magnitudinem affatim profundetur sanguis, quo restagnante cerebrum gravabatur: & pulmones hôc onere detracto minùs prementur, ac parciore affluente sanguine, quem continent, faciliùs in cordis ventriculum sinistrum deponere poterunt, ut sic, tandem liberiore reddito sanguinis fluxu, coagulatio impediatur, obstructiones solvantur functionesque animales sensim restituantur. Vulnus in V. S. solito fiat amplius; aliàs sanguis qui crassior est statim subsistet; & si noxa ab apertura forsan metuenda esset, poterit vulneri imponi emplastrum *Galeni* ex thure, aloë, pilis leporinis & ovi albumine, ac sine constrictione deligari.

XXXV. Venæ sectioni si non sit locus ob virium dejectionem, cucurbitulæ, præsertim scarificatæ, cervici, brachiis, cruribus adhibeantur, prout evacuandi, revellendi aut

C deri-

derivandi necessitas indicabit. Hirudinum ad aures, tempora ut & hæmorrhoides applicatio prodesse quoque poterit, cùm monente *Hippocrate*, earum apertio spontanea salutaris sit. Clyster ante vel paulò post venæsectionem, si moram non patiatur, applicetur ex Herbis emollientibus & cephalicis, ut malva, mercuriali, ruta, salvia, origano, pulegio, betonica &c. Rad. ireos, rec. cyclaminis, hellebori nigri parari poterit, quibus post coctionem & colaturam Hier. colocynthid. Aq. bened. *Ruland.* Ol. rut. de castoreo. Mell. anthos. Sal. gemm. &c. addantur; talis enim non modò materiam in intestinis hærentem ejiciet, sed etiam, si in purgantibus volatilitas & spirituositas quædam sit, sanguini communicata, fluiditatem ejus augere poterit.

XXXVI. Frictiones quoque dolorificæ instituendæ sunt, non solum quod calefaciendo sanguinem attenuent, sed etiam spiritus animales sopitos excitent & majorem torporem impediant, præsertim si fiant circa nucham, spinalem medullam, pubem & juncturas &c. pannis laneis, penetrantibus, calidis, acribus, volatilibus intinctis, e. g. Sp. sal. armoniac formic. Ol. rut. castor. Sal. Acet. &c.

XXXVII. Purgantia quoque hic locum habere poterunt, & quidem fortiora, ut Trochisc. alhand. Pil. coch. aur. fœtid. &c. Extract. pil. coch. aurear. catholicum, panchymagogum *Crollij*, vegetabile *Hartmanni*, Hier. diacolocynthid, &c. in forma liquida, cùm aliàs vix deglutiantur. Vomitoria rarissimè locum habent, nisi forsan cibo aut potu antea nimis sit repletus æger, & in leviore apoplexia vomitu urgeatur & irritetur; aliàs enim musculi abdominis in vomentibus contracti subjecta viscera & vasa premendo sanguinem ad superiora magis propellunt, ut vomentes etiam extra Apoplexiam gravativum capitis dolorem, venarumque in fronte & temporibus distensiones patiantur.

XXXIIX. Ptarmica forsan non ita tutò præbentur, propter concussionem cerebri; naribus potius graveolen-

tia infundantur, ut Spir. c. c. sal. ammon. urin. volat. &c. tincturâ castorei semper admixtâ; Apophlegmatismi adjungi poterunt. Tempora, cordis regio, vertex, nares & palatum illinantur Balsamis apoplect. *Crollij*, *Mynsichti*, Theriacâ Confectione anacard. cum castoreo junctis; talia enim insigniter penetrando sanguinem fundunt & spiritus refocillant, viasque, per quas humores elici possunt, aperiunt. Setaceum cervici, ex Cl. verò *Willisii* consilio etiam vesicatorium vertici, ut & emplastra attrahentia pedibus applicentur.

XXXIX. Nec negligenda interim sunt ab initio intus propinanda, quæ sanguinis effervescentiam provocent & augeant, spiritusque animales exsuscitent & vinculis expediant. Talia verò maximè sunt spirituosa, & quæ sale volatili abundant, ut Aquæ apoplecticæ variæ, *Crollij*, *Hartmanni*, *Mynsichti*, *Sennerti*, *Anhaltina*, benedicta serpilli, *Myns.* Elixir vitæ *Matthioli*. Spir. ceras. nigr. formic. lill. convall. vini tartarisat. c. c. fulig. sang. human. Sal volat. ammon. sang. hum. c. c. viperarum, succini; talia enim citissimè sanguinis massam pervadunt, fluidioremque reddunt, acidorum vim infringunt, sanguinis grumos dissolvunt; qualem etiam usum præstant Ol. stillatit. anis. angelic. rorismar. succin. carioph. ut & Theriac. vet. Mithridat. &c. ex quibus variæ formulæ parari poterunt. Si sub forma liquida arrideant, poterunt addi Aq. cephal. & apoplect. non incongruum vehiculum præbentes, quibus semper tinctura castorei cum summa utilitate admiscetur. Ictuum, vulnerum, contusionum debita cura poterit peti ex libb. Chirurgicis. Clysteres & glandes pro rei necessitate iterari poterunt.

XL. Post paroxysmum ad recidivam præcavendam adhibeantur corroborantia, alterantia, cephalica medicamenta, qualia passim apud Autores exstant. Plethora si adsit, & vires permittant, venæ sectio vere & autumno instituatur; si ad vomendum proclives sint, emetica lenia adhiberi poterunt. Purgantia verò, quæ dantur, admixta habeant, quæ sul-

 phu-





phure suo balsamico caput, cerebrum, nervos spiritusque animales respiciant, ut Cubeb. Cardamom. Herb. beton. rorismar, serpilli, Fl. lil. convall. ros. rub. pœon. salv. Cort. aurant. citri, Rad. angel. zedoar. imperat. ex quibus etiam aliàs Aquæ, Conservæ, Tincturæ, Olea, Essentiæ &c. parantur, quin ipsæ eorum substantiæ in forma pulveris, electuarii, potionis etiam sumi possunt. Olea, Unguenta, Linimenta, Balsama, Cucuphæ ex iisdem cephalicis parata, summo cum emolumento adjungantur.

XLI. In Diæta aër servetur temperatus & purus; impurior si sit, suffumigiis corrigatur, ex Thure, Mastiche, Styrac. calamit. Benzöe, Succino, Cariophyll. Flor. lavend. ros rub. Bacc. Junip. Motus & Quies, vigiliæ & somnus sint moderata; motus inprimis vitentur circulares. Frictiones continuentur. Cibi sint eupepti & euchymi, potus parcior & defæcatus; à nimio vinorum, inprimis ardentium, ut & tabaci usu maximè abstineatur. Excreta & retenta justo sese habeant modo; alvus si suo officio segnius fungatur, clystere aut aliis lenientibus est admonenda. Quibus hæmorrhoides fluere consuevere, eorum ratio habenda erit. Animi pathemata cane pejus ac angue vitanda sunt.

Hæc de Apoplexia differere placuit; Deo verô Triuno & Summo pro gratia sua sit laus, honor & gloria in æternum! & ita cum Deo, cum Quo cœpi,

F I N I O.



Corollaria.

I.

SAnguis multoties circulatus corporis nutrimentum genuinum non est.

2. *Bi-*

II.

Bilis & salivæ excrementa nuda neutiquam sunt censenda, sed chylificationi maximè necessaria.

III.

Lac ex chylo conficitur.

IV.

Spiritus animales ad partes delati in humorem condensari queunt.

V.

Vulgaria Magisteria Chymicorum Præparatis vix præferenda sunt.

VI.

Resuscitatio plantarum ex cineribus & salibus aut falsa, aut apparens saltem est.

VII.



Menstruum universale, quod quis habuerit, aut habeat, variorum corporum diversissimi pori videntur repugnare; nec forsan vas aliquod dabitur, in quo vel parari vel asservari possit.

VIII.

Cur in sectione venæ ligatura inter venam & cor fieri debeat, circulatio sanguinis nos docet.

IX.

Præsagia ex sanguine per venæsectionem extracto, non adeò sunt firma.

X.

Ex urina ſola nihil certi perſpici & prædici poteſt.

X I.

Vltimi etiam graviditatis menſes tantum abeſt, ut venæſectionem & purgationem ſemper reſpuant, quin potiùs tanquam neceſſarias admittant.

X I I.

Electivè purgatia non dantur.

X I I I.

Qui in formulis non ſaltem magnam ſimplicium, ſed & compoſitorum farraginem conjungere amant, Pharmacopæo moleſtiam, ægro nauſeam, ſibi verò praxin reddunt incertam.

X I V.

Vomitoria præpoſterè & temerariè adhibita meritò culpanda ſunt; maturo autem conſilio & methodicè data quanta non tollunt & arcent ſæpè mala?

X V.

XV.

Partus octimestres censeo vitales.

XVI.

Consveta longo tempore, etiamsi deteriora sint, insvetis minus molesta solent esse, testibus experientiâ & Hippocratis aphor. 50. sect. 2.

XVII.

Vulgatum adagium Germanicum, Ein neuer *Medicus,* ein neuer Kirchoff/ *non semper verum est.*

FINIS.








HONORIBUS
Nobilissimi atque Clarissimi Dni Candidati.

DIc mihi, conscendis cur *Doctorande* cathedram?
Scilicet, ut Medica *Doctus* in arte cluas.
Hincque *Tuis* thesibus contraria dicta repellis,
Instructus causis ac ratione bonis.
O *Te felicem*! Studiorum fine peracto,
Ad Patriam *Doctor* mox remeabis ovans.
Dic nunc incolumem, *Te* dic *Hildesia* sanam,
Vir, qui præ morbis corpora *vallat*, adest.

Sic properante calamo gratulari debuit, voluit

Gerhardus Meyer / J. C.

